

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

cepisti, quomodo integre credere, & alterutrum diligere debeamus. Quod si itaque episcopo & ecclesiae doctori incumbit eiusmodi formam sanae doctrinae in animo habere; quidni et toti Ecclesiae liceret talem σύνοψιν, ideam, siue formam diuinarum ueritatum construere, quae uere apteque, ut typus exemplari, correspondeat Sacrae Scripturae; praesertim cum ad doctores ecclesiae, qualis fuit Timotheus, praecipue spectet officium condendarum fidei formularum, uti ad doctrinae I. C. prae aliis peritissimos testes et praecones. Eiusmodi quid obseruare licet in ueteri Ecclesia Iudaica, quae habuit μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ NB. τῆς ἀληθείας. Rom. II. 20. Quo de merito suo gloriabantur teste Paulo Iudaei, & ipse Deo gratias agebat, quod toto corde obedierint, εἰς ὃν παρεδόθησαν τύπον διδασχῆς Rom. VI. 17. ecquid autem fidei formulae aliud sunt, nisi normata et formata ὑποτύπωσις, τύπος, idea, forma sanae doctrinae, et sanorum eius eloquendae modorum; unde eandem iustitiam clarere arbitror.

§. XVI.

IIIo.

In tertiam quam diximus formularum fidei partem probandam, assumimus Christi dictum Matth. XVIII. 17. 18. e quo conclusio ad praesentem rem a pari procedit. Si Ecclesia ex Christi institutione ius habet prae fractos et contumaces peccatores communionem eiiciendi, eidem etiam competit potestas obstinatos ἀνὴλέγοντας a coetu suo arcendi et excludendi; ueritatis enim non minus ac charitatis ratio est habenda. Adde, clauēs coeli a Christo Ecclesiae traditas quam maxime eo spectare, ut eadem cum autoritate & pleno effectu decernat de diuinis ueritatibus, factisque humanis, ut sit doctrinae testis, custos & arbiter; quare etiam audit Paulo, secundum consuetam graeci textus interpunctionem σύλος καὶ ἐδραϊώμα τῆς ἀληθείας. I. Tim. III. 15. Denique [sic rationes subducit magnus] PUFENDORFIUS ex citatione B. Dn. AB ELSWICH l. c.

p. 59. cum haereticum hominem deuitare iubet Apostolus, et uero a nobis postulari nequeat, ut in unius aut paucorum heteroclitorum capitum gratiam alio migremus, consequens est, ut iste solum uertat, postquam legitime conuictus et monitus peruacaciter errorem suum fouet, et periculum est, ne alios cominus contagio insiciat.] hoc iure Ecclesia utitur, cum in formulis fidei de diuinis ueritatibus e Scriptura S. decernit, ad easdem amplectendas membra sua adstringit, secus sentientes in communionem non admittit, et pertinaces ἀνιδέγοντας ab ea arcet uel pellit.

§. XVII.

Hucusque de argumentis et directis et indirectis tam generalibus quam specialibus sat dictum est, quibus iustitiam formularum fidei in sensu permissiuo asseruimus, siue Ecclesiae ius condendi et praescribendi easdem uindicauimus. Paucis iam expediri poterit iustitia formularum fidei in sensu *praeceptiuo*, siue potius earum necessitas, i. e. Ecclesiam quandoque obligari ad formulas fidei condendas et praescribendas. Sunt nempe certi casus, qui Ecclesiae formulas imperant, si salua ac integra esse uult, uinculumque unionis interruptum manere debeat; ii uel *interni* uel *externi* esse possunt. Ex iis, qui extrinsecus ueniunt, allegabimus duntaxat iussum principis et mandatum a placitis uerae Ecclesiae alieni et diuersi de reddenda religionis suae ratione; hostium dein calumnias & obtrectationes, quibus sacra nostra inuisa Deo, hominibusque inimica reddere conantur. Ex internis unum sufficiat adduxisse, domesticas nimirum proh dolor! de fidei capitibus altercationes et *σχίσματα*, Ecclesiae summum dissolutionis periculum minantia. Pone iam Ecclesiam ex haecenus probatis habere ius condendarum fidei formularum, illico in allatis casibus iuri accedet obligatio. Eiusmodi Principis iussum, ut alibi probatur, est iustus; in iustis rebus obligatur Ecclesia ad omnimodam eidem exhibendam obedientiam. Calumniae hostium, cum tandem in Ecclesiae per-

In sensu praeceptiuo.